



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 2. Objectiones Goslavii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

non potest, quia compositio ex genere & differentia non datur in Deo, & impossibile est, ut quorum una est numero essentia, ea specie & definitione discrepent; quæ enim definitione discrepant, ea etiam essentia discrepant.

RESPONDETUR in Divinis dari quasi specificam distinctionem, non in prædicatis absolutis, sed in relativis. Et licet compositio ex genere & differentia actu distinctis nemine cogitante non detur in Deo, potest dari compositio per rationem, & quamvis quæ sunt idem essentia, non possint definitione essentia discrepare, possunt tamen aliis definitionibus, verbi gratia definitionibus personalitatum, distingui, ita verbi gratia in Paulo, alia definitione definitur paternitas, alia filio; & tamen una est essentia Pauli.

Addit in processu suorum Discursuum Crellius, subsistentia reddi incommunicabilem naturam, quod verum est etiam de Divinis; nam natura prout est terminata verbi gratia paternitate, non est communicabilis Filio.

Diceret etiam aliquis subsistentiam absolutam reddere incommunicabilem, omni modo alteri naturam, secus subsistentiam respectivam: hoc enim ipso quæ respectiva subsistentia est, deponit aliam subsistentiam: unde subsistentia Patris, exigens identificatum suæ essentia, Filium, hoc ipso deponit subsistentiam Filii.

OBJICIT 7. Ex nostris principiis sequi, & fore personas Divinas incommunicabiles, ut supponitur, & fore communicabiles, quorum enim essentia & quidem tota communicabilis est pluribus suppositis, illa ipsa sunt communicabilia pluribus suppositis, si ergo Divinarum personarum essentia tota est communicabilis, & ipsæ personæ erunt communicabiles.

RESPONDETUR. Quorum essentia & quidem tota sub ratione & virtualitate nonnisi essentia est communicabilis, & illa ipsa sunt communicabilia, nego Majorem. Quorum essentia & quidem tota, etiam ratione virtualitatis distincta, & in ratione suorum complementorum, terminorum, est communicabilis pluribus suppositis, illa ipsa sunt communicabiles, concedo Majorem. Distinctaque Minore nego Consequentiam.

Quando autem inferius urget, quod in creatis unius Substantia nonnisi una sit subsistentia, id ad Divina deduci non potest, quanquam etiam de creatis negant aliqui, modo illæ subsistentia non sint identificata tertio.

Quare autem id ad Divina transferri non possit? ratio est, quia in hoc nulla est implicantia in Divinis, & hoc de facto dari Doctrina Ecclesiæ asserit. Nec valet Consequentia, in creatis hoc vel illud non datur, ergo nec dabitur in Divinis. Alia etiam disparitas est, quia personæ Divinæ sunt relativæ, & termini sui, deponentes identificationem, in eadem natura. Si enim non

deposcerent termini sui identificationem in natura, hoc ipso daretur pluralitas Deorum: ex eo autem quia sunt relativæ illæ subsistentia, non possunt esse solitariae; nam unius ad unum non est relatio, consequenter deponent pluralitatem terminorum; sed non pluralitatem in natura, ergo pluralitatem in personis: nihil autem simile de creaturis saltem actualibus, dici potest. Quare autem non sequatur debere dari infinitudinem personarum? de hoc infra. Quod autem adfert in contextu Crellius, nempe quod non partem sibi decerpit subsistentia terminanda naturæ; id non convincit, quia sequitur non quod relinquat partem essentia alteri terminandam, sed quod non relinquat totam terminandam, si simul secum sumatur; secus se seclusa; interveniente præcipue distinctione virtuali, vi cuius ita se habet ad terminari a secunda personæ essentia Divina, quasi non fuisset terminata à prima.

Punctum Difficultatis 2.

tis 2.

Solvuntur Objectiones Goslarvii.

EDIDIT Keckermannus Gedanensis Prædicans librum, contra ut vocamus Arianos, solvereque conatus est eorundem objectiones. Contra solutiones institit Goslarvius, qui insuper edidit specialem disputationem de persona contra Jacobum Martini, Wittenbergæ Doctorem, ex utroque libello desumenda sunt objectiones.

OBJICIT 1. Ubi est essentia & persona, ibi est compositio; In Deo est essentia & persona; Ergo in Deo est compositio.

RESPONDETUR, ubi est essentia & persona distincta realiter, & physice, illic est compositio; sed non ubi persona & essentia sunt indistincta realiter, nisi velis loqui, de compositione per rationem.

INSTAT 1. Ubi est essentia & persona, ibi est unum per alia, at compositio est unum per alia: cum simplex sit unum per se, resolutio enim, arguit compositionem.

RESPONDETUR, quod ubi est unum per alia distincta realiter, illic sit compositio, ut suppono, realis: Jam autem essentia & relatio, sunt indistincta realiter.

INSTAT 2. Substantia & Accidens faciunt compositionem, essentia Dei est substantia, relationes sunt accidentia.

RESPONDETUR. Negando universaliter relationes esse accidentia, ut videre est in relationibus transcendentibus, etiam in creatis; & ad maximum Minor vera est de relationibus, quæ non sunt termini, & complementa, ut vocant substantiarum, seu quæ in personalitatibus quæ talibus non imbibuntur; imbibuntur autem Divinæ relationes.

Objr-

Objicit 2. Ubi sunt unum & tria, illic sunt quatuor realiter distincta. In Deo est una essentia & tres personæ. Ergo in Deo sunt quatuor realiter distincta.

Respondetur. Veram esse Majorem si unum sit realiter distinctum à tribus; quod in presenti non est: nam essentia à personis non distinguitur realiter.

Objicit 3. Doctrinam de Trinitate contrariari principiis lumine naturæ notis.

Primum principium est, omne est vel non est, cui principio contrariatur Trinitas, quod sic probatur. Paternitas est idem realiter cum essentia. Essentia est idem realiter cum filiatione. Ergo paternitas est idem realiter cum filiatione, & tamen per nos non est idem realiter cum filiatione.

Respondetur. Hoc argumentum esse Galileum, hinc ejus secunda propositio Major negaturque illi Consequentia. Constat enim ex Particularibus: nec enim Majoris illius est sensus: Omne quod est essentia, est idem realiter cum filiatione, quod jam supra explicatum est.

Neque valet si dicas: Paternitas & filiatione est Deus, ergo paternitas & filiatione est Dei essentia: nam quid est Deus quàm essentia per quam est Deus? Ridiculum est esse Deum & non esse Dei essentiam, & si paternitas non est ipse Deus: Ergo non quidquid in Deo est, Deus est. Resp. Paternitatem & filiationem esse Deum, hoc est identificari Deitati tanquam alicui communicabilis, & distincto à se virtualiter; sed paternitas & filiatione non est Deus, hoc sensu quasi essentia, sed indivisibiliter his duobus, paternitate & filiatione, & quasi ab illis non distinguatur virtualiter. Directè autem ad principium dici potest, quod libet est vel non est, in eo in quo est vel non est; & ita in genere essentia sunt idem Pater & Filius; sed non in genere personalitatis.

Secundum Principium dicit convelli, quod illa concipit, quæ duo sunt idem quid tertium, ea inter se sunt eadem, & tamen paternitas & filiatione sunt eadem res cum essentia, & non sunt idem inter se.

Responsum est supra in argumentis Crelui.

Tertium principium à nobis ajunt destrui, scilicet syllogismi Expositorii; quia nolumus concedere hunc syllogismum, qui tamen bonus est & Expositorius. Essentia est Pater. Essentia est Filius. Ergo est Filius Pater.

Respondetur. Negando sequelam & negando hunc syllogismum esse expositoryum secundum dicta supra, sed ex particularibus.

Objicit 4. Persona in Deo, aut est finita aut infinita; si finita, ergo non est Deus. Si infinita, ergo tria sunt infinita: quia tres personæ.

Respondetur. Negamus Catholicis, illic esse tria infinita, quia iste modus dicendi impor-

rat diversitatem etiam in essentia. Concedunt aliqui nostrum esse illic tres infinitos relative. Sed alio etiam ex fundamento non convincit Argumentum, quia vel accipit personam prout subest nostris conceptibus, vel prout est à parte rei, si prout subest nostris conceptibus, neque est finita, neque infinita, sed sola sua prædicata essentialia importabit; Si autem sumatur prout est à parte rei, est infinita propter identitatem cum natura.

Objicit 5. Eadem res non potest distinctas personas constituere, intellectus etiam & voluntas in Deo sunt idem, ergo ex intellectu & voluntate non possunt distinctæ personæ profluere.

Respondetur. Argumentum non laudari à Goslavio, habetque in creatis instantiam; nam ab eadem potentia possunt distincti specie poni termini. Deinde immeritò supponit, quod voluntas & intellectus, quæ sunt quid absolutum, constituent personas.

Objicit 6. Subsistentia vel est de intrinseca ratione essentia, vel non est? Si est, ergo essentia est incommunicabilis, sicut & ipsa subsistentia; Si non est, ergo sunt quatuor subsistentia.

Respondetur. De intrinseca ratione essentia est subsistentia, ita ut suo modo non sit, non est de intrinseca ratione, quia distinguitur virtualiter ab eadem; est de intrinseca ratione, quia essentia deposcit subsistentiam tanquam suum terminum & complementum, & quia identificatur realiter essentia Divina, vicijus identificationis reddit illam naturam, quæ terminatam incommunicabilem, licet communicetur ratione explicatæ distinctionis virtualis, quæ, aut similis distinctio, facit, ut quamvis subsistentia sit incommunicabilis, sit communicabilis essentia.

Instat Idem. Effectus, qui participat suæ naturæ causam, talis est, qualis est causa; quomodo autem effectus id est subsistentia, erit incommunicabilis, essentia à qua illa est, communicabili existente.

Respondetur. Ponere argumentum in Divinis rationem causæ & effectus, quæ falsa sunt. Item supponit, quod ab essentia sit personalitas, & tamen tritum est, in nostra Theologia, quod natura non generet, adeoque, quod non producat subsistentias. Denique nego, quod subsistentia non habeat rationem talis in omnibus, rationem qualis habet natura, salva alietate virtuali.

Objicit 7. Quando Filius genitus est, & erat, vel non erat? Si erat, quare est genitus? Si non erat, ergo aliquando non fuit, & per consequens non est verus Deus, loco ly verus ponit Goslavius ly unus, eò quod non possit esse is verus Deus, qui aliquando non fuit, tales sunt dii de quibus sæpe Scriptura.

RESPON-

R. P.
M. LOD
NOWSKI
m. de Z.
VT

RESPONDETUR. Correctio non est bona, quia negatur posse esse verum Deum; qui aliquando non fuit. Ad argumentum quod attinet, illud non tam Trinitatem, quam Generationem Filii Dei impugnatur; ad illud autem respondetur, negando Majorem propter ly quando; ly autem quando supponit determinationem in tempore, in nullo autem determinato tempore genitus est Filius, sed ab aeterno: Ne autem effugiamus difficultatem, ponemus terminum ab aeterno: Filius ab aeterno vel erat, vel non erat? Si erat quare est genitus? respondetur non est genitus, quasi ipse *erat* successerit generationi, sed quia ut verum esset, de illo, ab aeterno *erat*, habuit hoc ex eo, quia ab aeterno est genitus. In hoc ergo fallitur imaginatio argumentantis, quod putet ipse *erat* succedere generationem, quod in aeternis & Divinis non est; Quod etiam esset, si aliquid ab aeterno per possibile vel impossibile crearetur, ut reflectens advertet.

Hæc argumenta habentur in refutationis parte secunda reliqua quæ secundam personam concernunt, infra ponentur. Nunc ad alia argumenta ex libello de persona accedamus.

OBJICIT 1. Persona Trinitatis per se subsistit, sed quidquid ita subsistit, substantia est, Ergo.

RESPONDETUR. Negando Minorem: Per se enim subsistentia per modum termini, qualis est subsistentia personæ, non est substantia, quo ad virtualem identitatem; sed terminus substantiæ; licet sit substantia per identitatem physicam.

OBJICIT 2. Persona Divina non est accidens; Ergo est substantia.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam; nam ne sit accidens, sufficit quod sit aliquid substantiale, hoc est terminus substantiæ; licet non sit substantia, seu natura. Et sicut unio in sententia Modalistarum non est accidens, neque tamen est substantia, sed aliquid substantiale; ita & in præsentia. Ostendit etiam Ruiz Disp. 23, Sect. 4. Patres dicere tres esse substantias in Divinis, accipiendo ly substantiam pro persona, vel præcindendo rationem substantiæ ab absoluto & respectivo.

OBJICIT 3. Omnia prædicata necessaria cum suis subjectis naturam communicant, hinc dicuntur essentialia, quia de essentia sunt subjecti, ut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus dicuntur esse Deus; cum itaque Deus sit substantia, etiam illæ personæ erunt substantia.

RESPONDETUR. illas personas esse substantias, quia identificantur naturæ, quæ est substantia, sed non esse in se substantias, nec adferre singulas prædicata naturæ, accepta, pro terminabili a subsistentiâ; qualiter hic sumimus terminum naturæ. Ex quo ulterius concluditur, quid sit dicendum ad illud argumentum, quod ferme ita proponit. Persona Trinitatis, est essentia Dei individua intelligens, sed non sunt

tres essentia Divinæ individua intelligentes; Ergo nec sunt tres personæ.

RESPONDETUR. In principiis communibus falsam esse Majorem. Distingui etiam potest sic Argumentum, persona Trinitatis est essentia Dei individua, ita ut persona ipsa sit essentia formalissimè & indistinctè virtualiter. Nego Majorem; ita ut ratione individui, hoc est, non individui seu communicabilis alteri ut supposito, formalisetur. Concedo Majorem: Sed non sunt tres essentia sub formalitate essentia. Concedo Minorem, non sunt tres essentia sub formalitate individuationis, incommunicabilitatis alteri, ut supposito. Nego Minorem & Consequentiam. Hoc argumentum etiam in aliis materiis fallit, nam v. g. Cæna in recto est comestio, & tamen multiplicata comestione, non est necesse multiplicari canam.

OBJICIT 4. Ponitque personas non esse relationem, persona enim est in genere substantiæ, relatio in genere accidentis, item quidquid per se subsistit, est in categoria substantiæ, omnis autem persona per se subsistit.

RESPONDETUR. Personam quidem ut sic, non esse relationem, nec personam Divinam constitui primò relatione, sed hæc Scholastica merè sunt. Argumentum etiam non convincit, ut proponitur; quia licet persona sit in genere substantiæ, non est tamen species ejusdem, sed tanquam terminus & complementum. Quod omnis relatio sit accidens non est verum, etiam in creatis relationibus transcendentalibus. Unde ultima illa propositio: quidquid subsistit in categoria substantiæ est, distingui debet est in categoria substantiæ, vel tanquam species, vel tanquam terminus substantiæ. Concedo; solum tanquam species. Nego. Subsistentia autem est per modum termini.

OBJICIT 5. Omnis relatio requirit fundamentum, seu relatum & terminum ad quem, ut vocatur, correlatum; quid autem horum in Deo? & si nihil horum in Deo, quomodo dabitur Trinitas?

RESPONDETUR. In primis cum dentur relationes non mutua per Aristotelem, & cum terminus possit non esse correlatum, immerito supponit terminum esse universaliter, quid correlatum. Sed quidquid sit de hoc, fundamentum proximum relationum in Divinis est ipsa persona generans, passivè autem genita, est terminus. Neque putarem essentiam esse fundamentum proximum, non propter rationes quas Goslavius adfert: sed propter hanc rationem; quia essentia est prior quam persona (suppono intelligibilitate) hinc illa prioritas dejicit naturam, ne sit fundamentum proximum relationis. Deinde ideo potius non est fundamentum proximum natura, quia inter fundamentum & terminum relationis realis, intercedit distinctio realis orta ex oppositione relativa reali, quæ ratio-

ratione naturæ non habetur; & quia illud proxime refertur quod generat, essentia autem non generat.

Punctum Difficul-

tatis 3.

Solvuntur aliæ Objectiones.

OBJICIT 1. Blandrata, apud Penalzoa. Verus & unus Deus, est Pater Christi. Trinitas non est Pater Christi. Ergo Trinitas non est verus Deus.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam, quia est syllogismus ex Particularibus, ut supra explicatum est. Rectè etiam Penalzoa offert contrarium paralogismum, verus & unus in specie homo fuit Adamus, sed nos ejus filii non sumus Adamus, ergo non sumus homines.

OBJICIT 2. Aliqui Transylvani, Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt alius & alius & alius; sed Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus. Ergo sunt alius, & alius, & alius Deus.

RESPONDETUR. Argumentum non esse categoricum, sed ut sit, poni debere hanc Majoram. Quod est alius & alius, & alius, est alius & alius, & alius Deus, in qua Majori est fallacia accidentis quia ex eo, quod convenient in Deitate, argumentatur etiam quod convenient etiam in alietate personali, in qua non sunt idem, & ab alietate in qua disconveniunt, ad Deitatem in qua conveniunt, competitque personis. Alius in ratione personæ, non in ratione naturæ.

OBJICIT 3. Alii apud Valen. lib. 1. de Trinitate cap. 27. præter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum nullus est Deus, sed neque Pater solus, nec Filius, nec Spiritus Sanctus sunt personæ; Ergo nullus est Deus, qui sit trinitas personarum.

RESPONDETUR. Hoc Argumentum non esse categoricum. Deinde distingui potest prima propositio, præter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum nullus est Deus exceptivè, hoc est his exceptis, nullus est de quo prædicatur hoc prædicatum Deus. Conc. præter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum nullus est Deus, ita ut collectivè hæc omnia in uno habeantur. Nego propositionem: Committiturque hic fallacia arguendo ex statu collectivo quæ talis statum non collectivum. Valentia rectè retorquet, præter hunc, & hunc, & hunc, &c. hominem, nullus est populus in mundo, sed neque hic homo solus, neque hic, neque hic, &c. est populus. Ergo nullus populus in mundo datur. Unde est hic fallacia accidentis, à negatione collectionis, quæ singulis serviat, procedens ad negationem collectionis, quæ simul omnibus conveniat.

OBJICIT 4. Si plures essent personæ Divi-

næ, essent plures habentes Deitatem, sed esse habentem Deitatem est esse Deum, & plures habentes Deitatem, est esse deos; Ergo existerent plures dii, quod ipsum illustratur: Quia ubi sunt plura habentia albedinem, sunt plura alba, & si eandem humanitatem tres personæ terminarent, essent plures homines: quod ipsum ulterius in hoc fundatur, quia ut significato alicujus nominis, numerale nomen addi possit, satis est, si rectum illius nominis, sit multiplex.

RESPONDETUR, quod quamvis esse habentem Deitatem, sit esse Deum; non tamen plures habentes Deitatem, est, esse plures deos. Ratio, quia usus communis hominum utentium ad placitum verbis, non multiplicat Deitates, nisi supponantur ipsæ Deitates in se multiplicari; nec usurpat terminum dii, nisi quando supponit ipsam naturam Divinam multiplicari. Quia autem quando dicitur de personis Divinis sunt plures habentes Deitatem, non supponit eandem multiplicari, sit ut non possint tunc dici tres vel plures dii; quod absurdum non sequitur, si habens Deitatem dicatur esse Deus.

OBJICIT 5. Posito Mysterio Trinitatis uni eidemque simplici entitati convenirent prædicata contradictoria; quod est absurdum, quia impossibile est idem esse & non esse.

RESPONDETUR. Recurrendo ad virtualement distinctionem, ejusque defensionem alias factam. Plures aliorum Responsiones adducit Perez cit. a. n. 13.

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Objectiones ex Scriptura.

Non habentur quidem Objectiones, quæ directè pugnent contra Trinitatem, quæ Trinitas est; nisi fortè adducantur Auctoritates, quæ Dei unitatem probant; sunt tamen non paucae, quæ apparenter dicunt, quod uni Patri, competat Deitas; ex quibus inferitur non dari Trinitatem. *His ut satisfiat, sit*

Punctum Difficultatis 1.

tis 1.

Solvitur Objectio ex Evangelio S. Joannis 17. & Matth. 24.

OBJICIT 1. Crellius ex illo Joannis 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te (Pater) solum verum Deum*, hic nemo dubitat, Dei veri nomine, Deum summum intelligi, quare cum Christus Patrem suum ita describat, ut eum solum verum Deum dicat, intelligitur solum Patrem Christi, esse solum Deum summum.

RESPONDETUR 1. Explicando Scripturam, quod ly solum, quamvis sit particula exclusiva, debet tamen sumi secundum accomodatam acceptionem, sic v. g. si quæretur: Estne solus paterfamilias in cubiculo, respon-

A 2

deatur-